Danquart Balthas: Breve directorium concionatoris apostolici.

Vilnae typis S.J. 1699.



Magno Alexandro
Starzynski Concionato-
rum Maximo. offert
S.J.S.J. na Wizzabudesz.
servus humillimus.


Kart 35

BREVE DIRECTORIUM Concionatoris *Apostolici.*

Authore

R. P. BALTHASARE DANQVART

Societatis IESV.



VILNÆ

Typis Academicis Societatis IESU, A. D. 1699.



Imprimatur, ita censet Officium Consistoriale Vilnense.

Facultas R. P. PROVINCIALIS.

Cùm libellum posthumum P. BALTHASA-*RIS DANQVART Soc: IESV, titulo* Breve directorium Concionatoris Apostolici *aliquot ex eadem Societate Theologi reviderint, typisq; mandandum censuerint: potestate mihi factâ ab Admodum R. P. Nostro Thyrso Gonzalez Præposito Generali Societatis nostræ, ut mandetur concedo. In quorum fidē has manu propriâ subscriptas sigilloq; officii munitas dedi Vilnæ* 21. *Octobris* 1699.

IACOBVS HLADOWICKI *Soc: IESV, Præpositus Provincialis per Provinciam Litvaniæ.*



Perillustri ac Magnifico Dno,
D. MICHAELI
KOSZCZYC
Notario Terrestri Palatinatûs
Vilnensis, Domino, ac Patrono gratiosissimo.

FOliorum hic aliquot libellus è Gentilitiæ Tuæ Rosæ folijs ambit grandescere. Perillustris ac Magnifice Dne. Exilitas illi, quantam cernis, imò quanta vix forsan cerni meretur, lippiente præsertim ob ætatem inclinatam sæculo, cui nisi grandius quiddam in oculos incurrat, continuò ceu indignum fastidioso repellitur supercilio. Esto verò quòd exigua nux magnam & hic Iliadem, ipsumq; sacræ facundiæ nucleum contineat: esto quod Author experientissimus brevi isto directorio tantùm

in arte cõcionatoria præstiterit; quã-tùm olim abbreviator quidam in Romana historia ausus

Omne ævum tribus explicare chartis

Doctis Iupiter! & laboriosis:

Moles tamen sua libello tàm contemptui est, quàm periculo, ne scilicet vel grandibus omnia ridere amantiũ Democritorum excludatur palpebris; vel ipsas intra legentium manus brevissimo tempore conteratur ac evanescat. Accedit quòd acerba sui Parentis mors, posthumo isti pupillo de mole plurimùm decerpsit, dum eodẽ fato quodvis emarcuit folium, quo suus nuper scriptor defloruit. Ad Tuũ igitur Gentilitium florem à mortualibus cupressis, cedro dignissimum properat opusculũ ut reflorescat; captat umbram Reginæ hortorum, ut à

sepul-

ſepulchralibus umbris in lucem ſecurius prodeat: orat foliorum ſuppetias; ut iuſtũ in volumen excreſcat. Patere Mecænas inclyte chartaceis folijs roſacea interponi, marcidis quidem vivida, ut vitam vigoremq́; cõmunicent: ſed albis candida & eruditis pariter erudita. Conveniet optimè cùm papyro candida, candidiſſimo tuo ſtẽmati, cuius nitorẽ vel hinc quiſq́; meritò ſuſpiciat, quod ei de Notaria ſepia nullã unquã adſpergi labem permiſeris. Calamũ Tu nempe officij non pectoris morumue candorẽ ſcriptoriâ tingis fuligine, nihilq́; omnino ſcribis, cui Themis ipſa nollet ſubſcribere. Intendit candorem iſtũ cælibis, atq́; adeò cælitis vitæ ſtudium, quo Idaliũ quondã florem, ſeveri pudoris inſignibus accenſuiſti: Roſamq́; Tuã dum candidã undequaq́; facis, pe-

ne

ne liliũ effecisti. Ne verò quia cãdida, nuda simul atq; vacua scriptis miscerem9 folia; occurristi iam olim, dum Gentilitij floris paginas, humaniorũ severiorũq; musarum oraculis, celeberrimo præsertim Lovaniẽsi in Athenæo sedulâ manu conscripsisti. Cumularûnt multiplicẽ literaturam multiplices virtutis pietatisq; characteres, quibus vulgata præsentis ætatis vitia, quantùm ex Te & in Te est obliterâsti. Vivis quippe ætatẽ quã alij, sed probitatẽ, integritatẽq; optimi cuiusq; sæculi repræsẽtas ipsoq; in sæculo vitam degis planè religiosã. Talẽ profectò non modo pro concionatorij libelli patrocinio, verùm etiã pro sacræ doctrinæ adhiberi oportuit argumento. Vt dum sacri oratoris præcepta virtutem svadent, expugnãt vitia; de Tuis ad utrumq;

in-

intentū, robur atq; subsidium præstc habe-
rent exēplis. Audis (quod maximè in rem
præsentē facit) perquam aviaè sacros ora-
tores, neq; Tibi orexim audiendi, ut ple-
risq; alijs hebetat, quòd optime sciveris pri-
usquàm dicāt, atq; dicere docereq; etiam
posses: verū insuper quod optimi Ecclesia-
stæ dicunt: hoc agis, idq; non minore contēti-
one quàm illi dicant. Demū si cōcionandi
munus, Apostolicū est: in eqvestri licet or-
dine aliâq; professione publico bono milites;
huius tamē partem muneris (quâ fas est)
attigisti. Collaboras Evangelio, zelumq;
Tuum Alba Russia sentit, cui ut concolor
Fides & pietas aliquādo constet, Missionē
ad Osswieienses agros in Bathoræano Soc:
IESV Polocensi Collegio, perpetuo reditu
fūdâsti. Eiusdem zeli appendicem dixerim
profusā in Apostolicos operarios beneficen-
tiā. Cuius rationes quoniam pro Tua mo-
destia hic legi non vis, in sanctiore cæli ra-
tionario fideliter connotatas reperies. Atq;
his horumq; similibus Floris Tui volumē
scribitur characteribus; & vicissim ob eorū

pul-

pulcherrimã varietatem Te varijs pingũt in floribus horæ, Ipsaq; te sibi pingit æternitas. Libellum interim nostrũ Rosæ Tuæ folia non modo augeant & exaggerent, verùm etiam ceu venustissima heroicaq; symbola virtutum decentissimè interposita exornent. Vt suapte naturâ exilis, de Tuo iam grandior, amplissimas tuas publicæq; felicitati gestandæ pares manꝰ implere possit, luci deniq; & usui publico neq; cultu neq; mole suâ prodeat aspernandꝰ. Deponit illum Tuo in pectore, hoc est in sanctiore Musarum larario

Nomini ac honori Tuo
Dovotissima
Typographia Collegij Academici Vilnensis. Soc: IESV.

PRO-

PROOEMIUM

Ante omnia duo firmissimè apprehendenda sunt.

I. QVod docet S. Dionysius Areopagita lib: de Cœlesti Hierarchia. *Inter omnia Dei opera nullum est divinius, quàm cooperari ad salutem animarum.* Et quod docet S. Chrysostomus: *Quamvis innumerabilē pecuniam, ipsas Salomonis & Cræsi divitias effundas in pauperes; plùs longè facis, si unam converteris animam.* Hinc Concionator inferat, quantum est Concionatoris Apostolici pretium, dignitas, & meritum.

II. Quod docebat S. Ignatius suos operarios & Concionatores: *Tantùm quivis potest, quan-*

tam illi Deus vim addit. Sicut malleus, securis, & quodvis instrumentum, tantùm potest; quã-tam illi manus artificis vim imprimit. Si magnam, multùm facit si parvam, parùm facit; si nullã, nihil facit. S. verò Gregoriꝰ docet: *Alius est, qui intus clamat: alius, qui foris clamitat.* Quid ex se agit Concionator? clamitat: est æs sonans, cymbalum, vox, prætereaq; nihil. Vt sit Concionator ad motum & fructum Auditorũ, duo simul cooperari debent: unꝰ in aure Auditoris, alter in corde Auditoris. In aure Auditoris Concionator tantùm modò clamitat, solùm imprimit vocem: quæ vel non admittitur, vel non intelligitur, vel malè intelligitur, vel unâ aure intrat, alterâ exit.

exit. In corde autem Spiritus Sanctus non clamitat, sed clamat. Et nisi ille clamet, vox Cõcionatoris erit vox psittaci: poterit movere risum, sed non animum. Vt igitur Concionator non sit instar psittaci, aut cymbali, sed dicat cum fructu; debet habere coadiutorem Spiritum S. qui in corde Auditoris clamet, & operetur. Hoc autem quomodo? Pergit S. Ignatius in sua doctrina: *Tantam porrò Deus vim addit; quantò quis propiùs, & interiùs illi cooperatur ad suscipiendos ejus motus.* Distet procul securis à fabro, nihil per eam efficiet, nec ullam illi vim imprimet. Ita, ait S. Ignatius Conf: p. 10. parag: 2. *ad ultimũ & supernaturalem finem suum consequendũ, media illa,*

 quæ

quæ cùm Deo instrumentum coniungunt, ac disponunt, ut â divina manu rectè gubernetur, efficaciora sunt: quàm quæ disponunt illud erga homines. Ingenium, doctrina, eloquẽtia, & similia, sunt remota, & purè naturalia: & non disponunt Concionatorẽ, nisi eâ dispositione, quâ disponitur psittacus, æs, cymbalum. Vt ergo Concionator nõ tantùm foris clamitet; sed mereatur vim Dei addendã, & addendã fortissimã ac specialẽ Spiritꝰ Sancti cooperationem, utq; à divina manu rectè gubernetur; videamus primò illa, quæ instrumentum & Concionatorem cum Deo coniungunt: tùm deinde ea, quæ illum disponunt erga homines.

PARS

PARS I.

Quæ Concionatorem cùm Deo coniungunt.

CAPUT Imum

DE INTENTIONE.

PRimum eſt, quod Concionatorem cum Deo coniungit, eſt intentio pura, ab omni amore proprio, & ab omni reſpectu tẽporali defæcata: ut Concionator unicè feratur in gloriã Dei, & fructum animarum, quidquid inde ſequatur: ſive placeat, ſive diſpliceat, ſive laudetur, ſive vituperetur. Et hoc ideo.

I. Quia Concionator non inſtituitur pro ſe, ut mercetur pro ſe aliquid; ſed mittitur inſtar Apoſtolorum: Qui cum Sui odio, con-

contemptu, persecutionibus, unicè quæsiverunt gloriam Dei, & reductionem ad cælum animarum, pretioso Christi sanguine redemptarum.

II. Quia secundum omnes Patres, & Spiritûs Magistros, Concionatori, qui quærit seipsum, plausum, gloriam, gratiam Auditorum, nunquam Spiritus S. cooperatur, nec potest cooperari: sicut Dominus non potest cooperari servo, cùm suo hoste capitali coniuncto. Nam talis Concionator pro fine constituit sibi vanitatem, quam Deus summè odit: & à Deo procul se elongat, hærendo in rebus Deo exosissimis.

III. *Existimo, his temporibus paucos Concionatores salvandos: quia præ-*

prædicant se, non Christum: ait Bellarminus in quadam Concione: quod idem confirmat & S. Chrysostomus.

IV. Cato aiebat: *Orator est vir bonus, dicendi peritus.* Priùs Concionator debet esse vir bonus, hoc est, Deo coniunctus; tùm deinde in dicendo exercitatus.

V. De Iosepho Prorege Ægypti dicit S. Hieronymus l. 3. in ep. ad Ephes: *Ioseph unum habebat propositum, placere Deo. Hoc nullâ varietate temporum imminutũ est, nec fratrum invidiâ, nec conditione servitutis, nec ætatis illecebris, nec dominæ repromissis, nec squallore carceris; sed semper unus fuit.* Talis debet esse Apostolici Concionatoris intentio, tantùm Deo placere, illi quàm maximum provẽtum

tum facere: ſint cætera blictri.

VI. Concionator exponitur in urbe, vel loco aliquo, ſicut ſol in cælo. Hoc eſt, remotiſſimus à terra, & omnia terrena deſpiciens: ut tantùm illuminet, calefaciat, urat, accendat; cætera omnia nihil curet.

Porrò viri Spirituales docẽt, præſertim Innocentius III. *Tria ſunt, quæ rectam intentionem vitiare ſolent*, præſertim in Concionatore. *I. Honoris & laudis aviditas: quæ hoc unum cogitat, præ omnibus eminere, laudari, & æſtimari. II. Deſiderium voluptatis: id eſt, potum cibumq; ſumere, non tàm neceſſitati, quàm delectationi.* Ideò, quia quis eſt Concionator, exigere extraordinaria & ſpecialia in victu, potu, commoditate,

præ-

præſertim in Societate. Relinquantur iſta diſcretioni ſuperiorum: Concionator, ut à Deo gubernetur, ſit ad omnia indifferens. *III. Aviditas opum, pecuniarum:* dum Concionator ideò curat gratiam Auditorũ, ut habeat promptum, alacrem, ad omnes in pecunia & rebus donationes ſibi f:ciendas.

Duo rectiſſimam probant intentionem. I. Rerum creatarum oblivio, & omnis affectus ad omnia terrena immolatus. II. Oblivio ſui ipſius. Cum talibus Deus fortiter cooperatur, & ſpecialem illis vim addit.

CAPUT II.

Oratio.

SEcundum eſt, quod ſpecialem Dei

Dei vim meretur, Oratio frequens & fervens tàm pro se, ut Deus Concionatori det lumen conforme dispositioni & motui Auditoris: quàm pro Auditore, ut eum Deus disponat ad acceptandam doctrinam Concionatoris. Concionis enim fructus non consistit in eo, quòd quis sit eximiꝰ Concionator; sed in gratia Dei collata Auditori. Eximius Concionator erat Isaias, quem Deus miserat ad populum convertendum: tamen nihil lucratꝰ est, quia Deus non dedit gratiã Auditori. Docet S. Gregor: 25. Moral: c. 14. *Pro qualitate subditorum disponuntur acta regentium: ut sæpè pro malo gregis, etiam verè boni vita* (etiam sermo, Concio) *delinquat Pastoris*. Et in alio

alio loco: *ſecundùm meritum plebium diſponuntur corda rectorum.* Ideò propter demerita Auditorum, poteſt Deus non dare Concionatori ea lumina & gratias, quæ ipſis poſſent prodeſſe, & quæ illos fructuoſè moverent. Oportet igitur, ut Concionator ferventiſſimè Deo ſupplicet pro Auditore: ut eis remittat peccata, quæ impediunt & demerentur gratias, quæ in Concionatore efficaciter operarentur. Itē, ut auferat ab Auditore cor lapideum, & det illi cor carneum; facile ad omnes motus ſuſcipiendos, & ad omnia docile. Teſtatur Evangelium de Chriſto Domino, quòd de nocte ſolitus eſſet orare, imò in oratione & pernoctare. Ad quid? Non eſt du-

dubium, quia orabat pro illis, ad quos verba de die facturꝰ erat, uti & S. Xaverius, & alij faciebant. P. Petrus Skarga dum se pararet pro concione, ità solitꝰ erat orare.

I.

Mitte Domine manum tuam, ut tangat os meum; & da verba tua in ore meo: ut loquar, quæ mandasti mihi: non formidem, quia tu mecum es. Fac me in columnam ferream, & murum æneum.

II.

Dirige Domine me, & mentem, & linguam, & calamum meum, ad gloriam maiorem tui Nominis Sanctissimi: ut faciam opera tua ad utilitatem salutis meæ, & fratrum meorum. Da-

san

ſanctam intentionem, & efficacem in charitate tua operationẽ. Per Chriſtum &c.

III.

DEus, qui me indignum ad prophetandum elegiſti, da ſermonem veritatis in ore meo: ut loquar ſicut oportet, ad ædificationem, exhortationem, conſolationem: ſicut expedit gloriæ tuæ, & ſaluti ovium tuarum: ut meipſum ſalvum faciam; & eos, qui me audiunt. Per Chriſt: &c.

IV.

DOmine, qui me hoc munus exercere voluiſti; per labores, & amorem, quo horum, qui me audituri ſunt, animas redemiſti, te ſuppliciter deprecor: ut mentem meam illumines, quo intelligam, quid ſpirituali eorum ſalu-

ſaluti conducibilius eſt. Dirige linguam meam, efficaciaq; verba mihi concede: ut quid illis magis eſt profuturum, dicam. Eorum corda mollifica, ut in eis tua cæleſtis gratia imprimatur. Aſpira nobis auxilia tua cæleſtia, per quæ hoc opus optimè perficere valeamus. Amen.

CAPUT III.

Mortificatio.

TErtium eſt, ſtrenua interna & externa mortificatio, tàm pro ſe, quàm pro Auditore. Quia Deus ſæpè non reſpicit orationem (præſertim ſi diſtracta & tepida ſit) reſpicit afflictionem. ſicut rex ſapiens & bonus rerum æſtimator, libentius reſpicit vulnera militis, pro ſe & ſuo honore

re ſuſcepta, quàm orationem, præſertim aliquid arduum poſtulantem: & promptiùs præmiat ſtigmata, quàm verba. Quare S. Franciſcus Xaverius tantos in ſceleſtiſſimis & deſperatiſſimis peccatoribus fructus fecit? non millia, ſed milliones barbarorũ convertit? Quia ſe pro eorum converſione duriſſimè affligebat. Antequam unum ſceleſtiſſimum, volendo illum convertere, aggrederetur (quem & feliciſſimè lucratus eſt) magnas ejus converſioni præmiſit afflictiones. S. Paulus quo medio tot barbaros reduxit ad Chriſtum? lege ipſius graviſſimas, tàm internas, quàm externas, mortificationes, quas longâ ſerie enumerat. Chriſtus Dominus in quantis totam vitam ſu-

ſuam duxit afflictionibus? ſuper omnes. Ad quid? Quia non unam, nec decem Provincias, ſalvaturus erat, ſed totum mundũ. Et tamen, poſt omnes afflictiones, quas totâ vitâ tulit graviſſimas, dixit ſe primò in cruce, in illa ſuperabundantia cruciatuum, omnia tracturum ad ſe: quod non dixit de ulla oratione. Interrogat Iſaias: *Quem docebit Deus ſapientiam? & quem intelligere faciet auditum?* & reſpondet: *ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus.* Mortificatio, tàm interna, quàm externa, eſt Concionatori ſummè neceſſaria. Quia ſicut in aqua turbida nemo faciem alterius, nec quidquam aliud, videre poteſt; ita dum paſſiones vanæ gloriæ, æſtimationis, reſpectu-

ctuum humanorum, turbant intellectum & voluntatem: nemo lumina & dona supernaturalia videre potest; & est omnino illorum incapax. Mortificationē Deus summè amat. Nam sicut Martyrium, inter heroica opera est Deo gratissimum; quia mactat corpus, & omnem concupiscentiam ac passionem occidit; ita mortificatio, quæ est species Martyrij, mirè cor Dei exhilarat. Quia ad Dei gloriam mactat totum hominem; ejus passiones, concupiscentias ac totum hominem addicit Deo: atq; ita animam hominis purificat; ut sit aptissima ad omnes impressiones cælestes recipiendas. Vnde & ipsum officium Concionatoris est magna pars Martyrii, & ma-

gna Deo victimâ; si illud quis ita administret, uti debet, & potest.

CAPUT IV.

Meditatio.

QVartum est seria & diligens Meditatio. Quia Deus seriò se ad meditandum applicanti, & ex fine gloriæ suæ meditanti, solet communicare singularia lumina. Vti videmus in sanctissimis multorum libris. Omnia enim illa, quæ nunc ex libris illorum discimus, in ordine ad usum & vitæ praxim, in Meditatione cælitùs hauserunt. Quædam virgo interrogabat S. Itham: *cur tu diligeris à Domino plùs reliquis virginibus? Nam tibi prandium de cælo datur, prophetas, cum Angelis*

quo-

quotidie loqueris. Respondit: *hoc mihi inde evenire, quia sine impedimento in meditatione & oratione Sanctissimæ Trinitatis sto. Et si quis sic fecerit, Dominus cùm eo erit.* Boland: in vita 15. Ianuar: Oportet Concionatorem meditari: quæ & quanta sit sua obligatio, quomodò accuratè implēda, quot & quales instituendi sunt, quæ eorum vitia & mores, quibus medijs, argumentis, motivis iuvari possunt, quibus maximè moventur, & moveri possunt, quæ eorum dispositiones, inclinationes, &c. Nam prima boni Oratoris pars est, nôsse Auditorem. Tremendum certè est: aliquot centenos, millenos Auditores, qui ordinariè intersunt Concioni, integro anno nullum

ex Concionibus referre fructū: & quidem ex culpa Concionatoris aliud agentis, alijs rebus ab officio alienis sese occupantis: ac peremptoriè, & sine intentione, sine oratione, mortificatione ac meditatione, dum modò horam, aut semi horam, utcunq; expediat, ad Concionem accedentis.

Et hæc sunt, quæ instrumentum cùm Deo coniungunt; & disponunt, ut à divina manu rectè gubernetur, Deusq; illi magnam vim addat. Nunc videamus, quæ Concionatorem disponunt erga homines.

PARS II.

De ijs, quæ Concionatotorem disponunt erga homines.

Ca-

CAPUT I.

Lectio.

PRima diſpoſitio eſt Lectio. Diverſæ ſunt in Auditorib9 diſpoſitiones. Alij moventur & convincuntur hiſtorijs, exemplis, ſimilitudinibus: alij ſolidâ ratione & diſcurſu: alij Sacræ Scripturæ explicatione: alij parabolis, uti omnes Orientales, quibus etiam ordinariè utebatur Chriſtus Dominus: alij pulchrâ & mores congruè explicante fabulâ. Uti Spiritûs Sanctus in Scriptura affert fabulam inſignem de electione, arborum regem quærentium: & S. Cyrillus integrum librum fabellarum pro Concionatoribus conſcripſit. Oportet Concionatorem,

quantùm in illo eſt, omnia ſcire, & omni eruditione inſtructum eſſe: tùm ut ex omni genere, omni modo ac viâ, Auditorem doceat, illuminet, moveat, convincat: tùm (quia Concionatori præ alijs, tanquam perſonæ publicæ & publico Doctori, incumbit converſatio cum magnatib9, doctis, eruditis, & varijs) ut in promptu habeat, quibus illos ad Deum trahat, illuſtret, & in viam ſalutis adiuvet. Proinde neceſſarium eſt, ut diligenter, & ferè continuò, vacet lectioni: ut in ſcriptura, ejus interpretatione, in omni hiſtoria, ſacra, profana, in Patribus, ac in libris ſit verſatiſſimus.

Sunt aliqui Concionatores, qui ſibi curant Concionatores

no-

novos, & præſertim nondum notos. Quid igitur faciunt? Integros dies, ſeptimanas, conſumunt in colloquijs vanis, converſationibus non neceſſarijs, præcisè diſtrahendi ſui causâ. Et primo feriâ ſextà, vel die ſabbathi, aut pridie Concionis, recurrunt ad ſuos Auctorculos, & ex illis dicenda corradūt, aut integras eorum Conciones recitant: nullo reſpectu, utrùm id Auditori conveniat, aut conducturum ſit; dummodò clamitent, utcunq; ſuo munere fungantur, Auditorem recreent, & aliquem plauſum referant. Sed reflectāt ſe Concionatores, præſertim Regulares, (ſi tales aliquando inveniri poterunt) ad quid illos alit, veſtit Religio? ad quid in

co-

eorum educationem & commoditates, tantos ſumptus ex bonis Chriſti impendit? ut dies hebdomadas, in nugis, otioſis confabulationib9, diſtractionibus cõſumant? ut vix aliquid laborent, & omnia faciant, uti apud nos dicitur, ſobotnim ſztychem? Nonne ideò? ut Chriſto, cujus ſumptibus educantur, toto conatu ſerviant? ut omnes vires in id convertant, quod illis agendum Chriſtus & Religio commiſit? ut ad finem maximæ Dei gloriæ à Religione impoſitum connitantur? præſertim his temporibus, quibus evidenter refrixit charitas, & ſuperabundavit iniquitas? ſentiat quivis prout vult: ego conſcius impenſarum, quas in meam educationem facit Religi-

ligio; conſcius curarum, quibus me inſtituit, educat; conſcius finis mihi impoſiti: non dubitarem, me peccare mortaliter, per annum aliud agendo, non id, ad quod teneor, quod mihi eſt impoſitum: & quidem cùm magno animarum diſpendio, nullum fructum ex mea indigeſta doctrina referentium. Legimus apud auctorẽ Societatis de vulneribus Chriſti, quomodò Chriſtus Dominus præſente noſtro Concionatore, adſtiterit in agone Concionatori Regulari, ſed plauſus apud Auditorem quærenti; & plena manu extractum è ſuo ſacratiſſimo latere ſangvinem in oculos eius proiecerit, addicendo eum æternæ damnationi, propter animas neglectas,

ac

ac perditas. Occupet se Concionator strenuã in omni materia lectione, præsertim librorum Spiritualium practicorum. Cùm enim Concionator debeat docere, quid in omni materia liceat, quid non; quid expediat, quid non; quomodò officio, statui, obligationibus suis quisq; satisfacere debeat: hoc non discet solidiùs, quàm ex lectione librorũ practicorum Spiritualium, & ex Meditatione. Interpretes, & similes, proponunt doctrinas in genere, in confuso: libri Spirituales practici ipsam praxim, & usum vivendi in specie, in particulari, quod Auditor doceri debet; & materiam affectuum, imò ipsos affectus subministrant.

Non supponat Concionator;

po-

politicos, magnates, in rationibus ſtatûs verſatos & occupatos, ſcire omnia, quæ animam, & ſalutem æternam concernunt: ut oporteat illis ſemper dicere ſublimia, ſupra captum communis populi. Sciat procertò, eos cōmuniter, quo ſunt magis verſati in civilibus, atq; in illis magis occupati; in rebus Spiritualibus & divinis non tantùm rudiſſimos eſſe, ſed vix non ipſos rudentes. Illa enim continuò verſant, reverſant; Spiritualia, divina nūquam legunt; imò nec audiunt præſertim his temporib9. Hinc unus ex illis dicebat: in conſiliis & rationibus ſtatûs, non eſſe neceſſarium lumen & auxilium Dei, nec petendum à Deo. Quia iam dedit nobis intellectum, ut

eo

eo utamur, prout nobis visum fuerit. Alter dicebat: daturum se ei mille aureos, qui sibi dæmonem ostenderet: & multi similia, & peiora. Et præsertim, cùm sint perpetuò terrenis immersi, ad capienda solida Spiritualia sunt ineptissimi. Ita 1. docet seneca ep. 87. *Quis sit summi boni locus, quæris? Animus. Hic nisi purus ac Sanctus sit, Deum non capit.* 2. S. Bernardus de Divers: super illud. *Pater filijs notam faciet voluntatem suam: Non revelatur*, ait, *servo veritas: quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Sed nec mercenarius rapitur ad contemplandam veritatem, qui propriam quærit utilitatem:* quales sunt communiter statistæ, politici. 3. Christus Dominus conver-

vertit luxuriosos, ut Magdalenã, Samaritanam; &c. avaros, uti Matthæum, Zachæum, publicanos; convertit Pharizæos quosdam, uti Nicodemum; milites, ut Longinum; cives, plebem, latronem: nusquam legimus, aliquem ex politicis & statistis ab eo conversum. Imò testatur Evangelium: *nunquid ex principibus aliquis credidit in eum?* Postquam Constantinus M. Christi fidem suscepisset, Romæ intra breve tempus, inito numero baptisatorum, 12. millia hominum, exceptis fæminis & parvulis, sunt deprehensa: tamen inter hos perpaucos fuisse homines sæculari politiâ conspicuos, testatur Caussinus. Rationem dat S. Cyrillus. *Sicuti oculi, quantumlibet*

sint

ſint magni & aperti, ſi fumus aut paleæ interponantur, nihil vident, nec videre poſſunt: ita oculi ſapientiæ mundanæ, quantumlibet ſint magni & aperti, avaritiæ tamen, honoris, ambitionis, & amoris temporalium fumo penitùs excæcati, tramitem iuſtitiæ videre non poſſunt. Loquendo verò ad praxim: his temporibus in noſtro regno corruptiſſimis, oportet ſæpè dicere ferè ad atheos, prout S. Xaverius loquebatur ad Iapones, oſtēdendo illis coram rege Bungi quanta debeat eſſe, & ſit, veri Dei excellentia. Defactò enim non videntur Deum meliùs apprehendere, quàm aliquem magnatem, aut regem. Proinde exaggeranda eſt eis veri Dei maieſtas, ſapientia, pulchritudo,

no-

potentia, &c. ſuper omnes poſſi-
biles creaturas. Oſtendenda eſt
illis, fortiſſimis, & ferè eviden-
tibus rationibus, animæ immor-
talitas: de qua vix ſapiunt ſubli-
mius, quàm de anima leonis, aut
elephanti. Bene eis explicanda
Eccleſiæ Dei maieſtas, digni-
tas, ſublimitas, poteſtas, ſuper
omnem mundi ſublimitatem, &
poteſtatem; Eccleſiaſticorum
quoq; excellentia ſuper omnes
ſtatus ſæculares. Quia verè nunc
politici non rectiùs ſentiunt de
Eccleſia, quàm Lutherani &
Calviniſtæ. Hæc verò ut fiant
cum debito fructu; ut proponā-
tur modo ſvavi, forti, efficaci,
ſine iuſta ullius offenſa; indigent
magna lectione, meditatione,
dexteritate, & prætereà oratio-
ne

ne ac mortificatione.

CAPUT II.

Dispositio 2.

INcipiens, & tyro Concionator exerceat se privatim in dicendo, declamando, perorando; ut quàm convenientissimè ad materiam deprimat, attollat, & moderetur vocem; ut exactè exprimat, primum, secundum, & tertium tonum, iuxta exigentiam materiæ; & assvescat, quãdo aliquem ex illis exprimere oporteat. Ita S. Xaverius præscripserat P. Berzæo, quem ex Europa Goam missum minùs invenerat idoneum ad concionandum. Imposuit enim illi, ut singulis diebus, & aliquoties in die, capite in profundum vas

aut

aut dolium impoſito, clamaret, boaret, quantùm poſſet, atq; ita vocem exerceret. Et ſucceſſit exercitium. Nam poſtea fuit eximius Concionator; & admirãdas fecit converſiones animarũ, Ormuſij, Goæ, & alibi.

Caveat autem dicere cantilando. Inveniuntur interdum Concionatores, adeò in perorando cantilationi dediti; ut in eorum Concione ad muſicam nihil deeſſe videatur; quàm ut notæ muſicæ, ut, re, mi, fa, ſo, la, eorum Concioni ſubſcribantur. Hoc eſt eſſe Cantorem, non Cõcionatorem: & ſimilem pueris, qui nihil declamare poſſunt, niſi cantilando. Quis cantat, aut cantilat, dum arguit, increpat, hortatur, docet, narrat aliquid,

quæ omnia Concionator in Cō-
cione præstare debet? esset hoc
nimis ridiculum, & omninò in-
sulsum. Deinde hæc cantilatio
summè lædit aures; & in Audi-
tore attentionem, aut summè
impedit, aut notabiliter immi-
nuit, uti ipsâ docemur experi-
entiâ. Nam Auditor prudens
summè cantilatione disgusta-
tur: & magis hoc disgustu occu-
patur, quàm audiendâ Concio-
ne: atq; ita fructus Concionis
perit.

Caveat quoq; dicere unito-
nio. Hoc enim est esse stentorē,
Clamatorem, non Concionato-
rem. In dictione Concionatoris
omnia debent esse rebus & ma-
teriæ proportionata. Non tan-
tùm insipidum, sed planè insanū

vi-

videtur, eodem tono tractare ſimplicem narrationem, quo debet tractari pathos & vehemens affectus. Narratio enim ex ſua natura debet proponi ſermone & relatione familiari: & ſi quis rem narret clamando, ridetur; & interdùm pro inſano habetur. Si quis totum palatium conformaret ad unam regulam, & eâdem longitudine, latitudine, altitudine, dimenſione, choro muſico, &c. ædificaret ſingula cubicula, quâ magnum & ſenatorium triclinium, albo ſtołową izbę; nunquid ſatisfaceret arti architectonicæ? nunquid non carperetur & rideretur ab omnibus? Idem fit, dum Concionator unitonâ voce totam pronuntiat Concionem; eodem to-

no & narrat, & lenem, & vehementem profert affectum, omnia confundit, non distinguit narrationem à pathos, nec pathos à narratione: & talis Concio vix aliquem affert fructum; clamitat, non docet, aut movet.

CAPUT III.

Dispositio 3.

CONcionator, præsertim incipiens, libenter audiat aliorum Conciones, maximè in hoc genere exercitatorum & celebrium: in ijsq; observet, quomodò delectent, doceant, moveant: quid in illorum Concionibus probet Auditor, quid improbet, quibus maximè moveatur. Ut & ipse eundem modum imitari, aut etiam canere, si ineptus

eptus est possit. Nam benè dicit Historicus Henrici IV. Galliarum regis; *Nullum est tam nobile aut validum ingenium, quod ope & ductu alieno non indigeat: & quoscunq; ferè in opere aliqao excelluisse videmus, præviam aliquam decessorum suorum manum secutos constat.* Et si hoc faciat Concionator ex humilitate, diffidentia sui, (quæ Concionatori summè necessaria est) ex intentione proficiendi ad maiorem Dei gloriam, & suum Auditorem perfectè instruendum; experietur à Deo singularia lumina, & singulare ejus auxilium ac cooperationem. Nā Deus humiles, & sibi diffidentes libentissimè & promptissimè respicit; & vult, ut omnes ab alijs discamus, nec cuipiam dat omnia

mnia. Et si quis alios despiciat, & de se nimiùm præsumat; Deus hanc superbiam graviùs mulctare consvevit; vel cæcitate in rebus ad officium proprium pertinentibus, vel malâ apud Auditorem opinione, vel Concionum censuratione, vel aliquo gravi lapsu cum infamia coniuncto.

Similiter libenter audiat aliorum monita & consilia, præsertim in arte Concionatoria exercitatorum, ac maximè superiorum. Qui enim superiores non audit, multò magis, si eos spernat; facit Deus, ut etiam Concionator non audiatur, non æstimetur, imò & contem atur. *Qui vos audit, me audit.* Nec refert, quia superior non fuit Concionator, vel non habet talen-

tum

tum concionandi. Nam Deus per superiores certiùs loquitur, quàm per alios: & eos specialiter elegit, per quos subditis voluntatem suam declaret. Quantus fuit Moyses? dux populi, in omni humana & divina sapientia versatissimus. Quis fuit Iethro? unus Sacerdos Madian, simplex, nullo modo cum Moyse comparandus; erat pigmæus respectu gigantis. Quid dicit Moysi? Docet illum, & præscribit illi regulas regiminis, ferè abecedarius instruit summum Doctorem: *Non bonam rem facis, stulto labore consumeris; audi verba mea atq; consilia, & erit Deus tecum:* præscripsitq; Moysi regulas regendi. Exod: 18. Quid Moyses ad hæc. Nunquid dixit? quid tu me

do-

doces simplex, habentem à Deo singularē sciētiā, qui mecū loquitur, instruit, illuminat? Sed Moyses audivit promptè omnia, quæ Iethro proponebat, & fecit iuxta ipsius consilium: *Quibus auditis Moyses fecit omnia, quæ ille suggesserat:* & deinceps melius erat regimen ex regulis Iethro, quàm cùm instinctu suo regeret. Si Moyses tantus audivit Iethro consilia, & illa executus est: quare Concionator non debet audire consilia, monita sapientiorū, & in eadem arte peritorum, ac maximè superiorū? Plùs in unoquoq; alij vident, quàm unusquisq; in seipso. Observavi Concionatores præsumptuosos, proprij tantùm judicij, virorum gravium consilia spernentes, erra-

re

re solitos in suis Concionibus, impingere non leviter, & ab Auditoribus censurari, & enormiter sugillari. Quem Deus ad officium Concionatoris elegit, ad quod se ipse non intrusit, non rarò talem interponit conditionem: Si aliorum monita, consilia, libenter audiverit, dabo illi gratiam, per quam in eximium evadet Concionatorem. Si non audiverit, multò magis si ipsa spreverit, patiar illum errare; excæcabo illum, ut non dicat, quæ prosint Auditori ad salutē; nec eo modo dicat, quo possint prodesse. Quantus fuit Concionator P. Olszewski? Numen. Libenter audiebat, dum coram illo aliqui errores referrentur, quos ille commiserat. Quantus

fuit

fuit P. Matthias Sarbiewſki? Ille dum ſe pararet pro Concione, hoc patiebatur tormentum, quia nulla materiâ, & nullo labore ſuo contentari poterat; & unam dicturus Concionem, aliquot parabat. Neq; hoc contentus accedebat ſuperiorem, & humiliter ſupplicabat, ut ille determinaret, quam ex tot Concionibus dicturus eſſet. Determinabatq; ſuperior, longè illo in hoc genere inferior: & Deus huic humilitati ſummè benedicebat. Refertur & de P. Petro Skarga, quòd, dum pagos tranſiret, ſolitus eſſet interrogare ex ruſticis, quomodò, & quo accentu, hoc aut illud verbum Polonicum pronuntiari deberet? Et hinc acquiſivit Poloniſmum maximè

pro-

proprium & perfectum, quo postea supra alios Conciones suas conscripsit, & typo subiecit. S. deniq; Ignatius, iam Praepositus Generalis, monitus à Ribadeneira, annorum vix quindecim puero, quædam publicè dicenti excidere, nec valdè Hispanica, nec Italica satis: gratissimum habuit & institui ab eo, ac discere, quid emendare deberet, voluit. O si Concionatores essent humillimi, essent quoq; perfectissimi, Deo propter humilitatem talentum conferẽte vel augente.

CAPUT IV.

Dispositio 4.

ACcommodet sermonem & verba Auditori & modo loquẽ-

quendi ac captui Auditoris. Nō ſemper ſublimi ſtylo utatur; ſed eo, quo utitur, & quem intelligit Auditor. Ita S. Xaverius, qui unicè gloriam Dei ſpectabat, faciebat: uti in ejus vita teſtatur P. Bartoli. *Sermone uti cōſveverat, ijs, quos alloquebatur, accommodo, rudi, barbaro, pedeſtri, culto, prout eſſet Auditor, qui adſtabat: ſic, ut mancipia & indigenas docens, qui ex uſu cum Luſitanis perpetuò, illorum vocabula in nativam linguam ineptè ac perperam detorquent, easdem cum ipſis uſurparet voces, eodemq; efferret ſono: tùm ut perciperetur ab ijs certiùs, tùm ut illis eſſet, velut unus ex ijs, acceptior. Quod etiam ei tam bellè ex animi ſententia proceſſit; ut uſq; à Iaponia Socios in India moneret, di-*

ver-

versitati Auditorum sermonem quoq; variè aptarent. Ad quid enim illa verba peregrina coram Auditore, qui ea non intelligit, Dziardyny, mułasy, zachary, gwaranca, emiry? &c. &c? Aerem tantùm verberant, & in cor non descendunt, quia non capiuntur; in Auditore verò fructum impediunt. Qui cùm ex similib9 aliquod verbum non intelligit, non intelligit totam periodum, imò & totum discursum, de quo dicat Concionator. Imò damnat Concionatorem, quòd quærat nugas & vanitates, nec dicat ad intelligentiam.

CAPUT V.

Aliæ Dispositiones.

Tria

TRia ſunt, quæ Concionator dicendo præſtare debet, & quæ illum faciunt Concionatorem omnibus numeris abſolutum: *Delectare, Docere, Movere.* Sed circa hæc obſervanda.

1*mum* Ordinariè delectare debet à principio, Docere in medio, Movere in fine. Et quidem ideò delectare debet ſtatim ab initio, ut alliciat Auditorem, & etiam quodammodò invitum teneat per totam Concionem. Dū enim Auditor ab initio incipit guſtum habere in Concionatore, incipit eum æſtimare, & ſēper exſpectat eximia, atq; ita perſeverat in Concione. Hinc aliqui ſtatim ab initio Confirmationis proponunt iucunda, amæna,

na, rara, miranda, erudita. His enim erigitur Auditor ad audiendum. Caveat autem, ne dicat levia, parùm decentia suam personam, nimis ridicula. Quia per hoc vilescit; & apud prudẽtes multùm detrahit de auctoritate & æstimatione sua.

2dum Potest etiam delectare per totam Concionem. Nam si insigniter doceat, delectabit: si insigniter moveat, delectabit.

3tium Universaliter loquendo, nihil ita delectat, docet, ac movet, quàm materiæ morales, ad mores & vitæ praxim pertinentes. Quilibet enim scire desiderat, & gaudet instrui, de obligationibus, attributis, circumstantijs, speciebus sui statûs, cõditionis, officij: quid in tali statu

tu, conditione, officio liceat, quid non: quid in his difficultatibus expediat, quid non: quid ſit grave, turpe, infame in aliquo ſtatu; & quid honeſtum, laudabile, gratioſum: dummodò ſingula debitè explicentur; & convincatur Auditor, ita debere fieri, vel non fieri. Hic modus non tantùm delectat, ſed inſigniter docet, ac movet. Sed in hoc modo tria ſunt obſervanda. 1. Non diſcurrat in communi, & quaſi ſpeculativè; ſed deſcendat ad particularia: non tamen minuta, niſi & hæc oporteat ſcire Auditorem. Nam quæ dicuntur in communi, communiter modicè delectant ac docent; quia ferè omnibus ſunt nota. Quæ verò proponuntur in parti-

cu-

culari, magis docent, ac movet: quàm magis instruunt & excitant intellectum. VG. Probat quis charitatem esse necessariã, non cùm magno gustu auditur. Quia Auditor hanc materiam sæpiùs audit, & tanquam iam obviæ ac tritæ minùs attendit. Quod si speciem unam vel alteram charitatis non nimis obviam explicet, tanquam ad rem novam specialiter erigitur Auditor. VG. Cemen discipulus Confucij, eximij Sinarum Philosophi docet: *Ego quotidie examino meipsum, & rationem à me exigo: an scilicet pro homine aliquo negotium tractandum susceperim, & non tractaverim illud, nec conatꝰ sum conficere, eâ, quâ par erat cùm fide ac contentione animi; nec ita*

 pror-

prorsus ac si mea res ageretur, & non aliena. Hoc si quis benè ac solidè deducat, scilicet, in susceptis aliorum negotijs, quemlibet debere eâ uti diligentiâ, quâ in proprijs, discunt multa Officiales Aularum, Aulici, Iuristæ, & similes, imò ferè omnes; & doctiores, ac fortè diligentiores domum redeunt. Nã in hoc ferè omnes gravissimè errant. Suscipiunt aliena negotia, ea verò post frigidè & negligenter tractant, ac decipiuut multos cum gravissimo eorum damno. Atq; ita, dum alicuius virtutis aut vitij species in particulari proponuntur, & solidiùs docent, quàm si de virtute aut vitio in genere tractetur; ac magis delectant, dummodò non

vul-

vulgari modo explicentur. Ipſe S. Paulus, non contentus dicere: *ſuper omnia autem charitatem habete;* deſcendit ad particularia: *Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, &c.* *1. Cor:* 13. Dum verò Concionator particularia tractat, caveat, ne aliquem apparenter & in ſpecie perſtringat. Nam hoc eſt cõtra prudentiam & charitatem. Et ſœpè oritur hinc magna infamia; læſio, non tantùm perſonæ perſtrictæ, sed conſangvineorum, amicorum, familiarium, & aliorum: & multùm Concionator detrahit de illorum erga ſe affectu, & ab audiendis Concio-

 nib9

nibus absterrentur. 2. In hoc modo observandum est. Citationes Scripturæ frequentes, & Patrum testimonia, communiter odit noster Auditor: Germanorum hæ sunt deliciæ, qui legũt scripturas & Patres. Apud nos gratiùs influit, magis delectat ac illuminat, pulcher aliquis & convincens discursus, vel pulchra historia, vel similitudines rem demonstrantes, vel interdùm pulcher apologus. Quia hæc quivis capit, & sunt quasi ad gentis naturam. Quodsi allegetur scriptura, vel S. Pater, non sit locus obvius, sed singularis, opportunus, accommodus, quasi ad hoc persvadendum natus & parciùs adhibeatur. 3. Hîc observandum est. Politici discur-

ſcurſus in Concione, ipſis Politicis exoſiſſimi ſunt. Dicunt enim clarè: nos iſta meliùs novimus, quàm Concionator. Convenimus ad Concionem, ut aliquid de rebus animæ, de ſalute æterna diſcamus; quæ vix legimus, imò non legimus: & ecce in templo, in cathedra Spiritûs S. non audimus Chryſoſtomū, Gregoriū, Ambroſium, os Spiritûs Sancti; ſed Tacitum, Plinium, Agrippā &c. Et defacto his annis primarij ſtatiſtæ queſti ſunt: Quare, dicebant, debemus frequentare Conciones, quando Concionator tractat ſæcularia, non divina. O bone Deus! quanta, & quæ docenda ſunt de rebus animæ? ad quid in nugas & ſterquilinia ſæculi intramus? niſi fortè ad re-

futandum.

4*tum* Ego ſalvo aliorum judicio, longâ doctus experientiâ, non vidi modum, qui per totam Concionem ita ſatisfaciat Auditori, eumq; magis reddat contentum, præter eum; quem induxit Pater Pexenfelder, & ante eum P. Ioannes Biſſelius Societatis IESU. Illi inducunt rariſſimam hiſtoriam; & ex ejus circumſtantijs proponunt & intermiſcent doctrinas morales practicas, quas teſtimonijs ſcripturæ, vel Patrum, varijs exemplis non obvijs, uſu & praxi inter homines, quid benè, quid malè fiat, illuſtrant. Hic modus hoc habet ſingulare. 1. Quia omnes homines mirè delectantur novis hiſtorijs: atq; ita per ipſam

nar-

narrationem Concionator in Auditore singularem excitat gustũ, ut plura audire desideret. 2. Cùm ex circumstantijs variæ & practicæ doctrinæ morales deducuntur; iterùm gustus crescit in Auditore, & desiderium novas semper doctrinas audiendi. 3. Quoniam historiarum facillimè & maximè recordamur, fit, ut Auditor unà cum historia cõservet memoriam doctrinarum quas audivit: earumq́; recordatione in occasione dirigatur, abstrahatur à peccato & magnum referat fructum.

5tum. Delectat singulariter viva vox & pronuntiatio: & hæc laus Concionatoris fermè prima est. Nam quando Concionator vivaciter perorat, singulariter in-

influit, & ád cor penetrat. Sicut gladius ſi robuſtâ & promptâ manu vibretur, penetrat intima quæq; dividit partem á parte: Si verò mortuâ manu tractetur, nihil efficit præter riſum vel ut quidam ait, ictum facit, (ſi facit) non vulnus. Et perinde eſt, nullam habere Concionem, & habere frigido, phlegmatico, mortuo modo dictam. Imò meliùs eſt carere Concione, quàm eam mortuo modo expedire. Nam ſi non ſit Concio, nemo tãtoperê miratur. Imò ſæpè excuſatur Concionator, vel quòd infirmetur, vel quòd non ſit domi, &c. Si verò eam languidè & miſerè expediat; cenſuratur Concio, & Concionator, & Religio, & multis ſermonibus oc-

caſio datur.

6tum Delectat gravis & cùm auctoritate pronuntiatio. Nam præceps & properata 1. Auditoris memoriam & caput fatigat. 2. Non poteſt Auditor benè apprehendere, conſiderare, ruminare, quæ dicuntur. Sed antecedentibus non intellectis vertitur ad audienda ſequentia; his non perceptis applicat ſe ad nova audienda: & ſic ex omnibus nihil intelligit, & nihil recordatur, exitq́; ex Concione vacuus. Ad quid ergo talis Concio? 3. Quia hoc eſt propriè penſa recitare, non Concionari. Apud Concionatorem omnia debent eſſe gravia & moderata.

7mum Inveniuntur interdùm

Cō-

Concionatores, qui pro aliqua materia probanda assumunt aliquot loca Sacræ Scripturæ, vel similia, & ex singulis pauca & breviter, quæ ad mores spectant, perstringunt, instar canis, in cursu præcipitanter lambentis aquas; quæ nec sitim extingvunt, neq; gustui satisfaciunt. Hic modus non contentat Auditorem, nec aliquem fructum facit: quia sub nimia brevitate rem solidè non capit. Sed si ex aliquo loco Sacræ Scripturæ, vel Doctoris, deducenda est doctrina practica, solidè & sufficienter explicetur: ut Auditor intelligat suum statum, vitij seu virtutis naturam, & doctior ex Concione abeat.

CON-

CONCIONES
Beatissimæ Virginis & Sanctorum.

DE his hoc breviter dici potest. In nostra gente, singulariter devota ad B. Virginem, quæ eam appretiat supra omnem creaturam, nullo gustu & fructu recitantur variа ex scriptura & SS. Patribus ejus elogia. Dicit enim ipse Auditor in talibus Concionibus tædiosus: Iam benè scimus, B. Virginem esse post Deum primam; superare omnibus titulis & elogijs omnem creaturam, nec quicquam de illa satis dici posse. Longè utiliûs est; & cum maiori satisfactione Auditoris, ex aliquo ejus my-

mysterio proponitur aliqua doctrina moralis. Sic enim Auditor duplicem refert fructum. Audit aliquam laudem & elogium B. Virginis, aut Sancti: & discit, in quo, & quomodò, eam, vel Sanctum, laudare, venerari, & imitari possit.

Et hæc sunt, quæ mihi ex longa experientia & praxi occurrerunt, ad manuducendum Concionatorem tyronem & incipientem. In quibus si se exercuerit, non dubito ei vim magnam à Deo addendam, & Spiritum Sanctum ei liberaliter cooperaturum: dummodò non parcat sibi, nec nimis de valetudine sit solicitus. Nam benè dicit Nierembergius: Quosdam Deus gravibus morbis affligit & ægritudinibus; ut dum nihil satis agere

vo-

volunt, ſaltem patiantur. Et obſervavi eos, qui ſtrenuè pro Deo laborant, nec parcunt valetudini; aut nunquàm aut raro, nec ita gravibus & diuturnis morbis tentari. Eos verò, qui nimiùm ſibi indulgent, & delicatè tractari volunt, labores graviores ſubterfugiunt, ferè continuò peregrinari ex uno morbo ad alium; ex una phantaſia, apprehenſione ad aliam: & vix non totâ vitâ ſub manu, aut Medici, aut Chirurgi, aut Apothecarij conſeneſcere, cum magna multorum moleſtia, & interdum irriſione. Venimus ad Religionem, non quærere, ſed perdere valetudinem, ait quidam. Et meliùs eſt, eam pro Deo, ejus gloria, fructu animarum, citò decoquere; quàm ſine ullo fructu diu otioſam, & multis

gravem trahere. Non peregrinamur in Indias, in Iaponiam: hic nostrum est Martyrium, Deo per strenuum laborem immolari.

Hæc ſcripſit Abecedarius, Tullius ſcribet meliora & auctiora.

Ad M. D. G. B. V. S. O. L. C. Honorem.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0018036